


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIV. - N. 147

MM. SEPTEMBRI et OCTOBRI

AN. D. MCMLIV

## SUMMARIUM

Certamen Capitolinum VI, *Tosatti*  
Lucretiana 1954, *Orth*  
De malleorum ludo, *Holzer*  
Nova et Vetera, *González*  
Cursus Gymnasticus, *Mir*

De Radiophonto, *Sansegundo*  
Per Orbem, *Aspa*  
Commercium epistulare, *Pacitti; Lyne*  
Bibliographia, *González, Alba, Aspa, Molina*

# Certamen Capitolinum VI

Institutum Romanis studiis provehendis auspiciis Summo litterarum artiumque apud Italos Curatore et Romanae civitatis Magistro, ad novum prosae Latinae orationis certamen omnes omnium gentium Latini sermonis studiosos homines invitatur, sperans fore ut ex nobilissimorum ingeniorum concertatione aliquid emicet, quod Quiritium majestate facundiaque sit dignum.

Certaminis praemium, quod Urbis praemium nuncupatur, erit argenteum sigillum, lupam Capitolinam imitatum, honorificentissimum Romanae civitatis munus, in basi victoris nomen atque annum et diem certaminis praeferebat. Huic sigillo Summus litterarum artiumque liberalium Curator ducenta denariorum Italicorum milia ex aerario adici jussit.

Ceteri petitores, qui digni habitus sint, laude ornabuntur. Ex iis autem qui victori proximus de agone discesserit, argenteo nummo decorabitur, a civitate Romana item donato, qui in antica parte Capitolii imaginem, in aversa litterati viri nomen atque annum diemque certaminis exhibebit. Huic quoque muneri Summus litterarum artiumque liberalium Curator centum milia denariorum Italicorum ex aerario jussit addi.

Exitum certaminis a. d. XI Kal. Majas a. MDCCCCLV, die Urbis natali, in aedibus Capitolinis, Romanae civitatis Magister in oratione, quam de more habiturus est, renuntiabit.

Scripta quae praemio ornabuntur typis excudenda, si visum erit, curabit Institutum Romanis studiis provehendis, ac proinde post annum tantum integrum erit auctoribus eadem in lucem edere.

### Leges certaminis

I) Fictis fabellis, commentariolis historicis, disputationibus philologis, denique omni prosae eloquentiae genere certare licet: sed praestantium ingeniorum nova experimenta Capitolinum certamen requirit. Scripta quibus petitores certabunt ne puerorum gymnastis sint destinata ne mille et quingentis verbis breviora ne prius in lucem edita ne alio praemio ornata neve laude, neve ex alio sermone sint conversa.

II) Quinque libellorum suorum exemplaria vel machinula scriptoria perspicue exarata vel typis excusa et tabellariorum diligentiae commendata mittant scriptores aemuli ad «*Instituto di Studi Romani – Ufficio Latino – Piazza dei Cavalieri di Malta, n. 2 – Roma*» ante Kal. Februarias proximi anni non suo tamen distincta nomine ne in integumento quidem quo conclusa sunt, sed sententia munita quae eadem inscripta sit scidulae obsignatae, nomen domiciliumque scriptoris exhibenti.

III) Quinque viri iudices erunt a Summo litterarum artiumque liberalium Curatore et a civitatis Romanae Magistro et a Praeside Instituti nostri delecti. Hi post iudicium scidulas resignabunt, quae easdem quas scripta probata sententias praefereant. Scripta non probata, si repetita, reddentur: sin minus, una cum scidulis obsignatis tertio exacto mense post iudicium publicatum delebuntur igne.

D. Roma Kal. Jun. a. MDCCCCLIV ab V. c. MMDCCVII.

QUINTUS TOSATTI  
*Praeses Institutus*

# PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

## Lucretiana 1954

I, 348. — «In saxis ac speluncis permanat aquarum  
349 liquidus umor et uberibus flent omnia guttis».

Illos versus 348-349 Epicurus ipse, ut equidem opinor, in voluminosum περί φύσεως opus, quod multa dogmata numerosaque doctrinarum exempla philosophorum praesocraticorum continuisse constat, e Xenophanis carmine περί φύσεως transtulisse videtur; Xenophanes enim ita scripserat:

καὶ μὲν ἐνὶ σπαέτεσσ' ἔτεοις καταλείβεται ὕδωρ.

quae verba Graeca sic latine interpretor:

«et in speluncis vere magnis aqua demanat».

Hoc Xenophanis dictum legitur in collectione fragmentorum praesocraticorum quam fecit H. Diels vol. I (Berolini 1934 apud Weidmann) 137 nr. 21 B 37. Xenophanes autem erat princeps scholae Eleaticae (in Italia), natus Colophone (in Asia Minore) circa annum a. Chr. n. 580, qui primus inter philosophos naturales librum περί φύσεως confecit et observationes in montibus Italiae factas in illo carmine «de rerum natura» collegit et diffuse descripsit, de speluncis veris et magnis neque de speluncis minimis locutus videtur esse. Lucretium vero, qui ex Epicuro hanc Xenophanis imitationem sumpsit, Epicuri lacum metri poetici causa in formam breviorum contraxisse veri simile est; propterea concludi potest jam apud Epicurum plura Xenophanis verba conservata atque illum quoque Lucretii versus integrum I, 349 e Xenophane ab Epicuro traditum esse. Epicurus quidem Graecus ipse Graeca Xenophanis hexametra lectitavit; Lucretius autem Latinus Xenophanis carmen ne vidit quidem umquam nec nomen cognovit.

In textu Graeco σπαέτεσσ' ἔτεοις rite scripsi pro falsa et absurda forma σπαέτεσσι τεοίς; iota enim per scribae errorem exaratum facile in epsilon (I in E) commutandum est, ut sensus optimus evadat, atque rectissimus.

**Appendix:** Lucretius a Mario Victorino, quem permagni facio, quod philosophus Neoplatonicus erat (imperatoribus Constantino et Constantio 300-370) et quod Sanctus Augustinus translationibus Latinis a Victorino factis Graecorum philosophiam profundius noverat, bis in eodem commentario

ad Ciceronis opus rhetoricum «de inventiōe» commemoratur, cf. M. Tullii Ciceronis opera edidit Jo. Casp. Orellius V, 1 (Turici, 1833), ubi M. Tullii Ciceronis scholiastae exstant;

p. 26, 11: *Lucretius* negat esse veros sensus odoris, visus, tactus, saporis, auditus.

p. 78, 24: secundum *Lucretii* ceterorumque sententiam inane totum locus est; quod inane patet rebus occupaturque ab elementis igni, aqua, aëre, terra.

Illam igitur *Lucretii* memoriam in editionibus poëtae mihi notis omissam hoc saltem loco servavi; fortasse in reliquis quoque ejusdem *Victorini* scriptis *Lucretius* obibat lectoribus.

EMIL ORTH

## De malleorum ludo

Jam venio ad malleorum ludum, qui Hispanice est *croquet*. Exercetur in caespite gramineo. Ejus autem ratio ita comparata est, ut globi lignei per seriem arculorum, quae non minus decem humi infixae sunt, ope malleorum ex ligno adversus tabellam tanquam metam agitentur. Arcula ista lata sunt ad summum XV centimetra, alta ad summum XXX centimetra. Palo campi initium notatur, palo terminus, palo etiam conversio (*retorno*). Unicuique lusori praesto est globus diversi coloris. Globus autem diametro est IX centimetrum et CCCC pendet grammata. Lusores in duas sese dividere possunt bipartito factiones, quae suos alternis percutiunt globos. Quos globos a palo initiali per omnia arcula tanquam portas certo quodam servato ordine usque ad conversionis stationem et inde retro per eundem arculorum numerum ad eum agitant locum, unde exorsi sunt pilicrepi. Lusori autem, cui contigit, ut globum per arculum feliciter ageret, alterius porro ictus obvenit jus. Si vero dua simul arcula uno ictu emensus erit, copia erit duarum deinceps plagarum. Simulatque complures globi in lusu sunt, pilicrepi conari queunt globos aliorum lusorum percutere. Sic duas assequuntur plagas. Sed altera utra ex his duabus ad crepandum est adhibenda. Rem vero ita conficiunt, ut suum proprium globum juxta tactum plaga globum collocent eumque prodigant. Qua ratione suum quidem ipsorum globum in opportunum adigere possunt situm, globum autem hostilis factionis in locum redigere iniquum. Circa lusus finem opus est, ut globus tabellam metariam tangat. Cujus autem factionis lusores metam omnes primi erunt consecuti, ea victoriam reportavisse judicabitur.

## De radosphaeris

*Hockey* est pilae lusus, quem duo inter sese manipuli baculis ab altera parte recurvis agunt. Jam apud veteres Graecos in usu erat, uti videre est in basi statuae, quae in Atheniensi Museo Publico sub numero 3476 asservatur et circiter anno a. Chr. n. 510 ascribitur a viris archaeologiae peritis. Quo tamen nomine veteres Graeci rem appellaverint, non jam notum est, quantum scio. Non aetatem tulit, ut multa opera ingenii Graeci. *Radosphaeris* est Graecorum hujus aetatis. Ludii autem ratio est haec: Pugnant inter se factiones ex undenis lusoribus, altera contra alteram, gestiuntque scite colludentes pilam in portam hostilem ingerere. Pilam autem tantummodo plana baculi parte movere licet, verum etiam sphaeram et volantem et humi jacentem manu retinere. Cavendum tamen est lusoribus, ne baculum supra umeri altitudinem ad sphaeram feriendam efferant, etiamsi sphaera sublimius evolaverit. Etiam vetitum est adversarii baculum baculo suo feriri, percuti, retineri. *Radosphaeristerium* autem in longitudinem XIC metrûm, in latitudinem L ad LIII metrûm patet.

*Radosphaeris* etiam in glacie lubrica exerceri potest. Tum *radosphaeris glacialis* audit. *Radosphaeristerium* autem *glaciatum* inter LXXXVI et L metra longum est, latum inter XXXIII et XVIII metra. Lusores ferreis muniti sunt soleis (*patines*), quibus in glacie cursim prolabentes orbiculum certatim in adversariorum portam baculis ad obtusum angulum cuspidatis immittere student. Manipulus constat ex VI lusoribus, quorum tres assaltum parant, duo eum propulsant unusque custodit portam.

## De sphaerae recussabilis ludo

(*Juego alemán de pelota a pala*)


Ea ludunt duae factiones ex duodenis constantes lusoribus, quarum altera factio percutrix, altera captrix appellari potest. Certant de meta. In qua re factio clavatorum suos, postquam pilam tabellari ictu in campum excuserunt, ad metam ducere atque inde retro ad stativa incolumes reducere conatur. Hac ratione jus plagas pala faciendi conservat. Factio vero exceprix clavatores prohibere studet, quominus decursum ad metas et inde ad stativa perficiant, eosque aut e campo exterminare aut currentes pila attingere gestit, ut sibi jus pilam percutiendi obveniat. Certamen LX durat minuta, sed interstitio X minorum circumacto in ulteriora XX minuta producti potest.

JOSEPHUS HOLZER, Rector

*Lebachii.*

# Nova et Vetera

## MUNDUS



i. Tempore aestivo, ut nunc est, facile commodeque de lavacris, lavatione, balneisque in commentariis disseratur; at longe commodius in aquis totus erit homo: quod alias in thermis, sic modo in statione marium homines versari videntur. Domestica vero, eaque hodierna, munditiei instrumenta vel apparatus in hac tabula picta vides; quorum sequentia latine et hispanice nomina, noſter ut fert usus:

- |   |                                  |   |                                      |
|---|----------------------------------|---|--------------------------------------|
| 1 | Aqualis, is, <i>lavabo</i>       | 4 | Saponaria theca, ac, <i>jabonera</i> |
| 2 | Pollubrum, i, <i>palanganero</i> | 5 | Trulleum, i, <i>aljofaina</i>        |
| 3 | Malluvium, i, <i>aguamanil</i>   | 6 | Manutergium, i, <i>toalla</i>        |

Iis, ni fallor, versibus regimen de re sanitatis Salernitanum contrahi potest:

«Lumina mane manus surgens gelida lavet aqua,  
Hac illac modicum pergat, modicumque sua membra  
Extendat, crines peccat, dentes fricet. Ista  
Confortant cerebrum, confortant cetera membra.  
Lote, cale: ſta, pranſe, vel i; frigisce, minute...  
Si fore vis ſanus ablue ſaepe manus.  
Lotio poſt menſam tibi confert munera bina,  
Mundificat palmas, et lumina reddit acuta».

Lavare vel lavere, quod etymi causa conjungendum cum voce Graeca λούω, idem prorsus significante, est ablueri aquave purgare. Atque ita de proprietate hujus vocis se habet Fronto (4. ad M. Caes. eo. 3): «Os colluere dicam; pavimentum autem in balneis pelluere, non colluere; lacrimis vero genas lavere dicam, non

pelluere, neque colluere; vestimenta autem lavare, non lavēre; sudorem porro et pulverem abluere non lavare; sed maculam elegantius eluere, non abluere. Si quid vero magis haeserit, nec sine aliquo detrimento exigi possit, Plautino verbo elavēre dicam. Tum praeterea mulsum diluere, fauces proluere, ungulam jumento subluerē.

2. Apud pristinōs Romanos maximi usus, hīstoria et archaeologia testibus, erant balnea. Itaque balneum aptus locus, ubi sanitatis vel voluptatis causa simul ut abstergerent sordes, corpora lavare consuerunt. Hujus modi autem in aedificio complures erant cellae ad lavandum: fridaria, tepidaria, caldaria.

Aqua sic disposita, ut ex frigidaria in tepidariam influeret, ubi modico quidem igne calefiebat; inde vero, majore addito calore in caldariam. Item assa cella, vehementius calefacta, sed sine aqua ad sudandum. Erat insuper apodyterium, in quo vestes deponebant; atque unctuarium seu unctorium, ubi ungebantur; praeterea sphaeristerium, in quo pilae lusu se exercebant, cetera.

In cellis ad lavandum destinatis erant vel labra aquam continentia, vel alvei quoque in quos per gradus pedetemptim descendebatur; ibique solium sedendi causa. Homo cui balneorum erat cura, quique lotionibus assistere solebat, balneator; pretium vero balneaticum dicebatur. Mercedula pro lavatione olim erat quadrans. Balnea aliis nominibus veniebant: balneae, balineae, balneola; lavacra...

Thermae autem vocantur non tantum aquae natura calidae; sed quaevis etiam loca, igne calefacta, quae sudandi ergo ingredimur. Unde illae veterum Romanorum Thermae, Neronianae, Diocletianae, ceterae. Erant denique hypocausta unctoria, ubi aliptae, ampullis et guttis unguentariis instructi, lotos ungebant.

Recole interea non nullas, tapetia ut acu varientur, de re domestica usus cottidiani voces:

Abacus, i, <i>bufete</i>	Letus, i, <i>cama</i>
Arca, ae, <i>cofre</i>	Letus pensilis, is, <i>hamasa</i>
Armarius, i, <i>armario</i>	Linteum, i, <i>pañō</i>
Balneum, i, <i>baño</i>	Lodix, icis, <i>manta</i>
Bisellium, i, <i>canapé</i>	Mensa, ae, <i>mesa</i>
Capsa traçtilis, is, <i>cómoda</i>	Monopodium, i, <i>velador</i>
Cervical, alis, <i>cabecera</i>	Pelvis, is, <i>barreño</i>
Conclave, is, <i>cámara</i>	Pulvinar, aris, <i>almobada</i>
Conopeum, i, <i>mosquitero</i>	Sapo, onis, <i>jabón</i>
Cubiculum, i, <i>dormitorio</i>	Scabellum, i, <i>banco</i>
Cubile, is, <i>alcoba</i>	Sedes, is, <i>silla</i>
Gulcita, ae, <i>colchón</i>	Sedile, is, <i>taburete</i>
Facitergium, i, <i>pañuelo</i>	Speculum, i, <i>espejo</i>
Involucrum, i, <i>cubierta</i>	Sponda, ae, <i>cuja</i>
Instita, ae, <i>cenefa</i>	Storea, ae, <i>estera</i>
Labrum, i, <i>bañera</i>	Stragulum, i, <i>colcha</i>

Supellex, lectilis, *ajuar*  
Tabella, ae, *cuadro*

Tapes, etis, *tapete*  
Vestiarium, i, *guardarropa*

3. Aqualis, in recentiore hominum usu, genus quoddam est mensae vel abaci, ubi et supellex ad munditiam ornatumque personarum collocari solet. Est idem atque Hispanica nostra vox «lavabo», usus novi in non nullis linguis Romanicis, eaque originis prorsus, ut patet, Latinae. Qua quidem vocem omnia fere exprimuntur, quae ad lautitiam oblectamentumque sensuum faciunt.

Inter alias pristinas de re traditiones, servatus apud hodiernos cives est, omni terrarum orbe, usus ablutionum; in primis vero consuetudo lavandi faciem et manus, praesertim in surgendo mane e lecto, et ante postque singula prandia. Haec autem ablutio olim necessaria erat, cum ii qui comessationibus aderant non solebant uti, ad conterendos orique ferendos cibos, alio praeter cultellum instrumento. Apud opulentiores vero easque comiores gentes, aliqui servi, post prandia, trulleum, malluvium una cum manutergio circumferebant.

Mundare saepius se limpida aqua, manusque et faciem lavare, est munditiei; fucare vero fuco, potius lenocinii. Qui autem crebrius lavabat, apud gentiles quoque intemperantiae et voluptatum suspicione, teste Lipsio, laborabat. Aquali hodierno facile omnino lavari frigida et calida.

Pristinus ad usum domesticum aqualis tripode, at plurimum, constabat; qui trulleum et malluvium aquarium sustentabat. Ibiq; un cus, in quo ponebatur manutergium. Tripus erat ligneus vel ferreus. Id vero in desuetudinem jam fere abiit instrumenti. Sed haec haecenus. Nunc quaedam de phraseologia quoque domestica:

Cubitum ire, discedere: *irse a dormir*

Somno vel quieti se tradere: *entregarse al sueño*

Somnum capere non posse: *no poder dormirse*

Curae mihi somnum adimunt: *los cuidados me quitan el sueño*

Somnum oculis meis non vidi: *no pude cerrar los ojos*

Arte, graviter dormire (ex lassitudine): *dormir profundamente (por la fatiga)*

Artus somnus aliquem complectitur: *caer en profundo sueño*

Somno captum, oppressum esse: *estar sumergido en el sueño*

Sopitum esse: *estar profundamente dormido*

In lucem dormire: *dormir hasta entrado el día*

Somno solvi: *despertarse*

(E) somno excitare, dormientem excitare: *despertar a uno*

E lecto vel e cubili surgere: *levantarse*

Per somnum, in somnis: *en sueños*

In somnis videre aliquid vel speciem: *tener una visión*

In somnis visus sum videre: *he creído ver en sueños*

Somnium verum evadit: *se realiza el sueño*

Somnium interpretari. *explicar un sueño*

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.



# Cursus Gymnasticus

## UNA CARTA DE SANTA TERESA

La gracia del Espíritu Santo sea con vuestra merced (1) y la dé fuerzas espirituales y corporales (2) para llevar tan gran golpe (3) como ha sido este trabajo; que, a no ser dado de mano tan piadosa y justa, no supiera con qué consolar a vuestra merced, según (4) a mí (5) me ha lastimado (6). Mas como entiendo cuán verdaderamente nos ama (7) este gran Dios, y sé que vuestra merced tiene ya bien entendido la miseria y poca estabilidad de esta miserable vida, espero en Su Majestad dará a vuestra merced más y más luz (8) para que entienda la merced que hace Nuestro Señor a quien saca de ella (9), conociéndole (10); en especial (11) pudiendo estar cierta, según nuestra fe (12), que esta alma santa está adonde recibirá el premio, conforme a los muchos trabajos que en esta vida ha tenido, llevados con tanta paciencia.

Esto (13) he yo suplicado a Nuestro Señor, muy de veras (14) y hecho que lo hagan estas hermanas y que dé a vuestra merced consuelo y salud para que comience a pelear de nuevo en este miserable mundo. Bienaventurados los que están ya en seguridad (15). No me parece ahora tiempo para alargarme más, si no es con Nuestro Señor (16) en suplicarle consuele a vuestra merced (17), que (18) las criaturas (19) valen poco para semejante pena; cuánto más tan ruines como yo.

Su Majestad lo haga como poderoso (20), y sea compañía (21) de vuestra merced de aquí adelante, de manera que no eche de menos (22) la muy buena (23) que ha perdido.

Es hoy (24) víspera de la Transfiguración.

Indigna sierva y súbdita de vuestra merced,

TERESA DE JESÚS.

(P. SILVERIO, *Obras de Santa Teresa de Jesús*, t. 8, *Epistolario*, II, 327)

## BEATAE TERESIAE EPISTULA

Spiritus Sancti gratia sit cum humanitate tua, tibi que animi et corporis vires largiatur ut tantum vulnus, ut hic labor fuit, sustineas, nam nisi ab illa tam pia et justa manu [hic labor] provenisset, quo modo humanitati tuae solacium afferrem, prorsus nescirem, prout et animum meum aegritudine affecit.

Sed cum intellegam quanto ac vero nos diligit amore magnus Deus noster atque benignitatem tuam hujus miserabilis vitae miseriam et inconstantiam cognitam habere sciam, spero fore ut illa summa Majestas maximam luminis copiam humanitati tuae praebeat quo plane intellegas gratiam quam Dominus noster ei tribuit quem ex hac vita eruit, si tamen ipse Dominum

noverit; idque in primis cum ex fide certum sciamus illam beatam animam esse ubi praemium ex multis laboribus patientissime toleratis recipiat.

Quod equidem ex imo corde a Domino nostro postulavi, idemque ut facerent hae Sorores curavi; Deumque rogavi ut tuae humanitati solacium et integram valetudinem concedat ut denuo in hoc miserando mundo proeliari incipias. Beati illi qui in tuto sunt collocati. Neque tamen hoc mihi videtur tempus verba protrahendi nisi apud Dominum ut animum humanitatis tuae erigat atque recreet, praesertim cum creaturae adeo pauperulae, ut sum ego, ad tantam aegritudinem levandam paululum valeant.

Id illa divina Majestas, qua summa est potentia, perficiat atque in posterum sociam humanitatis tuae se ipsa praebeat ne optimam quam amisisti societatem, prorsus desideres.

Dabam hodie in vigilia Transfigurationis.

Indigna sed humanitatis tuae addictissima famula,

TERESIA A JESU.

1) **Vuestra merced:** *humanitas tua, benignitas tua*; hanc honoris seu comitatus formam retinendam in conversione Latina censemus cum adeo in nostris linguis hujusmodi loquendi rationes in comi et eleganti hominum sermone adhibeantur, neque genio Latino repugnet cum jam apud Horatium (*Epist.*, 2, 1, 258) et Phaedrum (*Epil.*, 3, 31; 2, 5, 23) harum quasi quaedam exordia inveniamus ac deinde apud scriptores temporibus imperii et apud sanctos Ecclesiae Patres frequentissimae sint (Cfr. elucubrationem optime elaboratam clmi. v. ac Prof. R. Gonçalves, «A expressao tranquillitas vestra de um passo de Eutropio», *HUMANITAS*, Coimbra, vol. II, 1948-49, p. 131-173; non nulla quoque consuli possunt in commentario *Revue des Etudes Latines*, 27, p. 47; et DUMEZIL, *Majestas et gravitas*, *Revue de Philologie*, 1952, I, p. 24. Et quamquam hac significatione apud lexicographos voces *humanitas*, *benignitas* aperte non reperiuntur, optime tamen usurpari posse arbitramur cum jam aetate aurea hic sensus quasi videatur enasci, Cfr. «Satis superque me benignitas tua / ditavit» (HORAT. *Epod.*, 1, 31); Cfr. alias voces aperte apud sanctos Ecclesiae Patres: *Caritas*: «Novit enim caritas vestra, AUGUST. Migne, P. L. XXXV, col. 1468, *passim*; *sinceritas*: «Illustris sinceritas tua quasi in speculo tuebitur» COD. THEOD. *De comite rei privatae*, l. 6, 6.

2) **espirituales, corporales:** *adjectivum Hispanicum quod saepe respondet genetivo Latino* (Cfr. ISSELE, *De latinorum sermone*, 62, 2; BERGER, *Stylistique Lat.*, § 16).

3) **llevar tan gran golpe:** *vulnus sustinere*; «Vulnus metaphorice est calamitas, casus adversus, pernicies, damnum» (FORCELLINI, s. v.) Cfr. «Nunc vero et fortunae gravissimo percussus vulnere»; (CIC. *Academ.*, 1, 3, 11); *sustinere*, cfr.: «Nostris omnia vulnera sustinebant» (CAES. B. C., 1, 45, 6); vel alto modo locutio converti potest: *onus sustinere*: «translate generatim dicitur *onus* quidquid molestiam ac laborem affert: ad rem CIC. *Senect.*, 2, 4: «Quae [senectus] plerisque senibus sic odiosa est, ut *onus* se Aetna gravius dicant *sustinere*».

4) **según:** cfr.: «Prout cujusque eorum aut natura aut studium ferebat» (CAES., B. C., 3, 61, 3).

5) **a mí:** *animum meum*; Romani saepissime eam hominis partem exprimunt cui qualitas inhaeret vel ad quam verbi actio in primis refertur: «Docebat illum in *animis* vel *judicium* vel *populi* in omnem partem dicendo permovendis non fuisse ignarum» (CIC., *De orat.*, 1, 19, 82) ... «a los jueces y al pueblo» (Cfr. BERGER, *Stylistique lat.*, § 83).

6) **ha lastimado:** *aegritudine affici*; (cfr. CIC. *Tusc.*, 3, 7, 17): «Aegritudo est perturbatio animi propter impendens malum, sollicitudo, cura, molestia, angor» (FORCELLINI, s. v.)

7) **cuán verdaderamente nos ama:** *quanto ac vero nos diligit amore.* — Substantivum in ablativo [=amore] interdum verbo [=diligit] additur ad rem pressius complendam vel definiendam: «*Igni cremare*» (CAES., B. G., 1, 4, 1). — Adverbium Hisp., cum adjectivo, saepe in aliud adjectivum commutatur: «*Gratus acceptusque*» (=valde acceptus, «muy acepto»); hic tamen sunt duo adverbia [=cuán verdaderamente] quae in duo adjectiva [=quanto vero] convertuntur. — *Diligere*, «quasi sit eligere aliquem e multis, quem benevolentia prosequaris» (FORCELLINI, s. v.): «*Diligimus quasi dilectum adhibito, amamus impetu quodam et cupiditate*» (Cfr. BARRAULT, *Traité des synonym. de la L. Lat.*, n. 755).

8) **más y más luz:** *maximam luminis copiam; lumen satis superque in te infundat.*

9) **de ella:** ad miserabilem vitam refertur, quam vocem vel repetendam arbitramur vel in aliam conmutandam (=«e terris eruit»).

10) **conociéndole:** presse et adstrictè dictum, et quamquam sensus pateat, haud facilis translatio. Vertimus: «si tamen ipse Dominum noverit» (cognoscat).

11) **en especial:** *id*, quae consequuntur cum oratione praecedenti conectit.

12) **según nuestra fe:** *ex fide.*

13) **esto:** *quod*: pronomen relativum initio sententiae locum tenet demonstrativi.

14) **muy de veras:** *ex imo (corde)*; cfr. «magnumque sub imo corde premit gemitum» (VERG. *Aen.*, 10, 464). — Quae tamen locutio adverbialis commutari etiam potest in aliud verbum ut saepissime apud scriptores legimus. «*Orare atque obsecrare*» «rogar con toda insistencia, muy de veras»; *cupere et optare*, «desear muy vivamente».

15) **están en seguridad:** *in tuto collocare* (Cic., *Harusp.*, 25, 53), *in tuto esse* (Cic., *Fam.*, 12, 2, 3).

16) **con nuestro Señor:** *apud Dominum*; «Saepissime praepositio *apud* regit accusativum personae jungiturque verbis loquendi, et significat coram aliquo vel ante aliquem» (FORCELLINI): «*Apud quos Ambiorix ad hunc modum locutus est*» (CAES. B. G., 5, 27, 1). *Nemo est meorum amicorum hodie, apud*

*quem expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam*» (TER. *Heaut.*, 3, 3, 13).

17) **consuele a vuestra merced:** *animus*, cfr. supra 5; praeterea eleganter duo adhibentur verba ejusdem fere sensus quo notio verbi luculentius pateat: cfr. *tueri atque defendere, cupere et optare*, cet.

18) **que:** *praesertim cum.*

19) **criaturas:** *creaturae, res creatae*, cfr. PALAESTRA LATINA, 132, p. 153. — **valen:** *vale-re ad*: «Multum ad terrendos nostros valet clamor» (CAES. B. G., 7, 84, 4); «Tu non solum ad neglegendas leges., verum etiam ad evertendas perfringendasque *valuisti*» (Cic. *Catil.*, 1, 7, 18).

20) **como poderoso:** *qua summa est potentia*; cfr. «Quaecumque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, *qua est humanitate* Caesar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare» (Cic., *Fam.*, 7, 2, 1).

21) **sea compañía:** *se ipsa praebeat sociam*, animadvertit commutationem substantivi (*compañía*) in adjectivum (*sociam*), et «*ipsa*» in nominativo; quod quidem pronomen — addito praesertim pronomine reflexivo *nominativo* — effertur casu si orationis subjectum (*ipse*) eluceat oportet. i. e. cum quid *ipse per se* faciat significare volumus; quod si actionem verbi in *objectum* recidat, tum pronomen cum *objecto* concordat: «*Mihi ipse* numquam satisfacio» (Cic., *Fam.*, 1, 1, 1) «*Te ipse* cognosces». (Cic., *Amic.*, 3). «*Se ipsos* omnes natura diligunt» (Cic., *Fin.*, 3, 18, 59).

22) **eche de menos:** *desiderare*, cfr. sensum etymologicum hujus vocis: «*desidero, as*, formé sans doute sur *considero*...: cesser de voir, constater [ou regretter] l'absence de; d'où «chercher, désirer». De là *desiderium*: regret, désir... (ERNOUT-MEILLET, *Dict. etymol. de la lang. latine*)

23) **la muy buena:** adde substantivum: *optimam societatem*.

24) Cfr.: «*Hodie et cras* peuvent être conservés dans une lettre sans changement» (in imperf. epistulari) (RIEMANN, *Synt. Lat.*, § 148, R. 1.)

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

# De Radiophonio

Rem me facturum cum lectori jucundam, tum a PALAESTRAE LATINAE instituto non alienam putavi, si nonnulla de Radiophonio nuper apud nos in schola disputata in publicum ferrem. Eo vel magis, quod ea de re multus — nostris hisce diebus — sermo apud omnes habeatur. Neque injuria. Per «scrinium namque radiophonicum» (*aparato de radio*) vel dissitas mundi plagas animo certe, ut ita loquar, obire licet, ac varias hominum linguas audire cuique fas est. Immo vero — et id quidem omnium vel maxime interest —, exterarum gentium cultus institutionumque populorum nobis per radiophonicas undas aditus patent. Ad haec, magnum quidem oblectamentum per «apparatum receptorium» (*receptor de radio*) nostris laribus nova aetas intulit. Quod profecto ambigit nemo. Ne multus sim, musicem missam facio, quam «capsella illa radiophonica» abunde suppetit; «emissiones» etiam scaenicas praetermitto; contiones item et oblectamenta alia, quae ad cultum humanitatemque propius accedunt, praetero silentio. Res enim est in promptu.

Potius de vocabulis, quae ad hanc rem exprimendam effingere possumus, paucis expediam.

In primis «receptorium radiophonicum» (*receptor de radio*) — ut dixi — undas ab «apparatu transmissorio» (*radiotransmisor*) emissas excipit, easque in signa sonitusve transfert. Dein, «radiotelephonia» idem sonat ac ratio communicationis sive «diffusionis telephonicae», per undas electricas sive hertzianas, peractae.

Age vero, quemadmodum apud nos «radio» nihil aliud est nisi apocope a «radiodifusión», eodem pacto Latine dici potest *radium* per apocopen pro *radiophonium*. Ipsa vero vocula «radiodifusión» apte videtur Latine reddi *emissione radiophonica*, quam definire licet hoc modo: emissio radiotelephonica in publicum destinata. Quod autem spectat ad vocem illam «radioelectricidad», sermone Latino dicere fas est *radioelectricis*, estque productio, propagatio itemque receptio undarum electricarum. Unda autem electrica (*onda eléctrica* o *hertziana*) est motus sive vibratio aetheris, qui quidem oritur cum scintilla producitur electrica. Exinde unda longa, unda brevis (*onda larga*, *onda corta*). Itaque, vocem *radio* latine multifariam verti juvat, nempe:

La radio: *Radium*; *radiophonium*, *it*

Emissora de radio: (*Machina*) *missoria*, *emissoria radiophonica*

Receptor de radio: *Receptorium radiophonicum*; (*machina*) *receptrix radiophonica*

Aparato de radio: *Apparatus radiophonicus*; *scri-nium radiophonicum*

Ondas de la radio: *Radiophonicae undae*, *aetheriae undae*

Estación de radio: *Statio radiophonica*; *radii statio*

Ondas de radio España: *Undae Radii-Hispaniae*

Micrófonos de radio España: *Microphonia Radii-Hispaniae*

Item, apud recentiores reperitur aliquando *marconianum inventum*, ab inventore radiophonicae artis, qui, ut res est non comperta nemini, fuit Marconius, clarus ex Italia vir.

Ceterum, P. Aemilianus Fornés, S. J. (1) ad verbum «Radio» Latine exprimendum, vocem intulit «*telephonium aetherium*». Sed haec locutio alicujus est declarationis indiga. Ac proin ipse scriptor subjungere debuit: «*Como si dijésemos teléfono del éter, de éter*».

Ex alia parte, scimus nonnullos vocabulum «*radiar*» Latinitate donasse, ita ut verbum efficerent *radto, -as, -are...*, quod ipse invehere non ausim, tum quia Latina lingua alias —et quidem plurimas— suppeditat voces ad hanc rem significandam, tum quia vox illa «*radiar*» Latinae linguae venis repugnare videtur (proprie enim significat apud aureos «*brillar, resplandecer, centellear...*»), neque ulla auctoritate novus sensus quod sciam muniri potest. Sic «*radiar*» vertere possumus: «*transmittere, mittere, edere, diffundere* (undis radiophonicis)».

Porro, enuntiatum omne, quale id cumque est, cum Latina consuetudine donandum est, non aliquo verborum circuitu, sed oppido quam presse dicendum puto.

Placet nunc recentiora Latine interpretari, quae usu apud nos maxime veniunt:

Radiodifusión: *Radiophonica diffusio*

Sociedad Española de Radiodifusión: *Societas (Consociatio) radiophonica Hispanica*

Radio Nacional de España: *Statio radiophonica nationalis (Hispanica)*

Emisora de Radio Madrid: *Emissoria radiophonica Matritensis. Statio rad. Matritensis*

Emisión de Radio: *Emissio, transmissio, communicatio radiophonica*

Socios de una emisora: *Radiophonici socii*

Estudios de Radio Barcelona: *Officina Stationis Barcinonensis*

Emisiones españolas de Radio Vaticana: *Hispanicae emissiones ex Statione Rad. Vaticana*

**Orbis radiophonicus.** — Sic vertendum censemus tritum illud enuntiatum «*El mundo de la Radio*», quod in ephemeridibus et commentariis passim legitur.

In hoc «*mundo*» —venia sit verbo—, nuntia cumprimis, musicae, contiones, scaenica dantur et alia, ut nemo non ignorat, quamplurima. Haec omnia continet *ratio* illa *radiophonica* (*programa del radioyente*), quae apud nos etiam «*guía del radioescucha*» audit, quaeque in Latinum translata, *index radiophonicus* sonat. Ejusmodi *ratio*, vel, ut ajunt, *programma*, in sectiones nonnullas dispescitur. En scilicet praecipuae:

1. **Diario hablado:** *Ephemerides radiophonicae. Acta diurna radiophonica. Diarium radiophonicum. Enuntiatio ephemeridum radiophonica. Nuntii radiophonici. Diurnorum actuum radiophonicus nuntius. Rerum novarum nuntii radiophonici.*

Información local: *Nostrae res.*

Información nacional: *Patriae nuntia. Ex universa natione nuntia.*

Información extranjera: *Exterarum gentium nuntia.*

Panorama internacional: *Per orbem. Orbis prospectus.*

(1) *Vocabulario y Fraseología*, Barcelona, 1942, p. 33.

Última hora: *Nuntia recentissima*.  
 Información deportiva: *De re athletica. Gymnica. De Ludis. De variis ludorum generibus. Ludicra. De gymniciis ludis commentatio radiophonica*.  
 Mundo deportivo: *Orbis gymnicus*.  
 Radiación de un partido de fútbol: *De pediludio emissio (communicatio) radiophonica*.  
 Servicio meteorológico: *De aëris statu mutationumque. Emissio methereologica*.  
 Cartelera de espectáculos: *Spectaculorum index. Ludorum libellus*.  
 Información bursátil: *De re nummaria*.  
 Banca y bolsa: *De re argentaria*.

**2. Música, conciertos:** *Emissio musicalis. Auditio musicalis, concentus*.  
 Disco del radioyente: *Discus radiophonicus*.  
 Recital de piano: *Clavicymbali (clavichordii) concentus*.  
 Concierto de órgano: *Organi concentus*.  
 Canciones escogidas: *Cantica. Cantilenae selectae. Cationes (PLAUT.)*  
 Concierto de cuerda y viento: *Concentus nervorum tibiarumque*.  
 Música instrumental: *Cantus nervorum*.  
 clásica: *Musica classica*.  
 moderna: *recentior*.  
 sagrada y profana: *sacra et prophana*.  
 Conciertos sinfónicos del Palacio de la Música: *concentus symphonici oedi*.

**3. Religión y moral:** *De religione morumque disciplina*.  
 Rosario radiado: *Rosarium Mariale radiophonicum*.  
 Ejercicios Espirituales radiados: *Emissio Exeritationum Spiritualium*.  
 Homilía Evangélica radiada: *Contio radiophonica. Homilia Evangelii radiophonica*.  
 Cursos por radio de formación religiosa: *Religiosae institutionis curricula radiophonica*.  
 Oficios divinos radiados: *Sacra radiophonica*.  
 Radiomensaje: *Nuntius radiophonicus*.  
 Campaña pro Seminario: *Pro Seminario actio*.  
 Emisión de Beneficencia: *Emissio de beneficentia*.

Item alia sunt vocabula quae ad radium spectant:

Locutor de radio: *Locutor radiophonicus*  
 Voz microfónica: *Vox radiophonica; microphono apta; microphonica*.

**4. Emisión de cultura y formación científica:** *Emissio radiophonica cultus humanitatisque*.  
 Crónica semanal de ciencias y letras: *Hebdomadaria scientiarum litterarumque recensio*.  
 Enseñanza de lenguas por radio: *Linguarum institutio radiophonica*.  
 Curso de conferencias: *Curricula dissertationum radiophonica*.  
 Discursos por Radio: *Allocutiones radiophonicae*.  
 Conferencia por Radio: *Disputatio, dissertatio radiophonica*.  
 Emisión de arte y arqueología: *Emissio de arte et archaeologia*.  
 Recital de poesías: *Carminum recitatio*.  
 Cuentos radiados para niños: *Fabulae puerorum radiophonicae. Apologi radiophontici pro ephebis*.

**5. Sección de Higiene:** *Emissio de valetudine tuenda. De arte curandae valetudinis. De disciplina valetudinis curandae*.

**6. Teatro:** *Scaenica*.  
 Audición de teatro por Radio: *Fabulae actio radiophonica. Fabula scaenica radiophonica*.  
 Novela radiofónica: *Fabella radiophonica (Commentum, fabula, fictio). Fabula romanensis*.

**7. Emisión de culinaria:** *De arte cibos condiendi. De art coquinae. De re culinaria*.

**8. Anuncios y avisos:** *Monita rerumque nuntia*.  
 Servicio de socorro: *Ministerium ad opem praestandam*  
 Sección de propaganda: *Sectio rebus propagandis. Sectio nuntiis monitisque propagandis, evulgandis. Emissio rerum nuntiis propagandis. Ad rerum nuntia propaganda*.  
 Dar noticias por la Radio: *Nuntia, rerum nuntia vulgare, divulgare, edere, diffundere, promere... Emissio, transmissio de rerum nuntiis. Nuntia per aetherias undas missa, edita, prolata, divulgata, diffusa, data, expressa...*  
 Rumores propalados por la Radio: *Radiophonicis undis fama, rumor est propagatus, divulgatus, longe lateque diffusus...*  
 Saber por la Radio: *A radio audire, scire, certior fieri, nuntium accipere de aliqua re...*

Programa de actualidad: *programma rerum recentium; acta novissima*.  
 Micrófono: *Microphonium, i*.

Altavoz: *Megalophonium, megaphonium, i.*

Antena: *Antenna, antemna.*

Lámpara de radio: *Lampas (radiophonica).*

Auricular: *Concha auditoria.*

Amplificador: *Vocis amplificador, amplificatorium (instrumentum).*

Poner la radio: *Radiophonium excitare, movere, concitare, accendere (electrica vi).*

En tibi, humanissime lector, quae de *Radio* disputanda duxi. Fortasse tempus trivisse videbimur. Quin etiam, sentio et ipse non paucis visum iri nos oleum operamque perdidisse qui in hoc tricari delectemur et leviora Latine reddamus. At nihil refert. Hoc feci, ut videre possis Ecclesiae linguam mirum in modum verba suppeditare ad nostra quantumvis nova apte significanda. Nihilominus, id unum curae habendum —cum de vocabulis Latino sermone donandis agitur— ut, consideratius agamus; id est cautius libremus verba, ne linguae Latinae venis verborum licentia injuriosi simus, vel ultra quam par est progrediamur. Ergo, in hac re, multis sane difficultatibus obsita, suspensis vestigiis nobis est incedendum. Sic, quae de *Radio* strictim dicta sunt, aequi bonique consulito.

LEO M.<sup>a</sup> SANSEGUNDO  
*Monachus Montserratensis*

## Per Orbem

**Novi Commentarii.** — Hoc veritate anno non nulli novi, tum in Hispania, tum in aliis civitatibus prodierunt commentarii, quorum duo saltem ad Latinitatem pertinent.

In primis illum recensemus qui *Tiro* inscribitur, qui que etsi parvo sit volumine, —octo fere tantum pagellas continet— multum tamen puerorum institutioni inservire poterit. Herbipoli (Würzburg) e Gymnasiali Collegio singulis mensibus prodit multa que in eo «jocosa, jucunda et seria», picturis admixta inveniuntur.

Etiam ex Anglia, e Blackpooliensi urbe, ad nos pervenerunt aliquot ab hinc hebdomadis commentarii *Acta Diurna*, quattuor continentes perampla folia, in quibus de rebus et mori-

bus Romanorum varie et jucunde, pulchris picturis interpositis, disseritur. Commentarii *Acta Diurna* ad usum alumnorum gymnasii in primis destinantur, sed omnibus magistris erunt oblectamento.

Linguae Hispanicae cultoribus *Boletín de Filología Española* nuntiamus, qui quidem commentarius de bibliographia et evulgatione sermonis patrii ubique gentium lectores certiores faciet, cujusque commentarii nonnulli conscriptores et relatores in praecipuis Universitatibus cultissimarum civitatum erunt.

Denique libenter nuntiamus commentarium *Estudios Clásicos* qui etiam nunc ut pars *Bordón* prodibat, «organum» —quod dicimus— *Hispanicae*

*Conspiciationis studiis classicis provehendis devenisse.*

**Exitus certaminum.** — Tria praecipua certamina his diebus habita de litteris Latinis recensere juvat. Et primo quidem CERTAMEN CAPITOLINUM prosae Latinae orationis ab Instituto Studiis Romanis provehendis in annum 1954 indictum, ad quod duodequingenta certantes sua scripta contulerunt, quorum quadraginta quinque ex Italia, unus ex Gallia, unus ex Hispania, — cl. PALAESTRAE LATINAE Moderator, Josephus M. Mir C. M. F.—, unus ex Provinciis Foederatis Americae. Primi praemii victor Ignatius Poma excedit libello *Nox Panormitana* inscripto; alterum vero praemium Aldo Bartalucci et Joachimo Petrolli ex aequo tributum est. Alii etiam petitores laude digni habiti sunt in quibus numerare juvat cl. PALAESTRAE LATINAE moderatorem, qui scriptum *Viget Latinitas*, in quo novo quodam quasi argumento de sermone Latino novis rebus aptando erudite pertractat, ad certamen misit.

In Certamine vero Vaticano in hunc annum propositum LIV diversarum gentium viri certarunt. Certamen tribus ordinibus constabat et unicuique ordinum duo praemia assignabantur; sed unum tantum illis tributum est. In primo ordine — eorum qui magistri munere funguntur— F.

Sánchez Vallejo S. J., *Hispanus*, praemium assecutus est elucubratione quae inscribitur *De restitutis nostra aetate Olympiis*. Ex ordine vero discipulorum praemium reportavit Thomas Finan: suae commentationis index erat: *Amicorum colloquium de praecipuis aetatis nostrae inventis*. Ex poetis denique Arturus Guidoni Lee praemio ornatus est carmine inscripto: *Aërii vehiculi ope ad lunam ascensus*. Nobisque pergratum est in petitoribus Hispanicis PALAESTRAE LATINAE Moderatorem inveniri qui et laudem honorificam meritus est.

Tandem in Certamine poetico Hoeufftiano victor ex omnibus certantibus evasit Josephus Morabito carmine quod inscribitur: *Pericula*.

Omnibus viris in his Certaminibus ludentibus, sed victoribus praecipue, vehementer gratulamur.

**Certaminis Capitolini opuscula**, a. 1953. — In hoc fasciculo Instituti Romani studiis provehendis duo libelli inveniuntur qui in Certamine Capitolino IV, anno 1953, praemio donati sunt. Primus Marii Pinto est et *Iter Bithynicum* inscribitur, in quo de Catulli in Bithyniam profectio lepidi sermone auctor disserit; alterius Michaëlangelus Petruzzello auctor est et in eo «*Mater infelix*» titulum prae se ferente de matre quadam candide miserabiliterque narratur.

JESUS ASPA, C. M. F.



# Commercium epistulare

*Josepho M. Mir, Latinae linguae peritissimo, Guerrinus Pacitti Sal.*

Quibus verbis a te veniam petam probe nescio. Nunç demum tibi rescribo non quod sim cessator, praesertim in litteris, sed quod jam plurimos dies ex Urbe sum profectus, quo paulo firmiorem veletudinem efficerem, in Alpibus ferias agens.

Eo magis gravabamur te nondum exemplaria libelli tui accepisse, quod saepius eximiam tuam erga nos humanitatem experti eramus. Adde quod ipse curaveram ut quattuor opusculi tui exemplaria tibi mitterentur eodem die, quo (a. d. V Kal. Mai.) papyrus, testimonium laudis in te a iudicibus *Certaminis* conlatae, tabellariorum diligentiae commissa est. Nunc, dum diligentissime apud tabellarios inquirimus, Quintum Tossatti Praesidem nostrum, a te certiore factum accepimus exemplaria opusculi in manus tuas tandem venisse.

Nunc haec de libellis *Certaminis Capitolini* excudendis: Institutum R. S. P. volumen quo libelli praemiis ornati continébuntur mox edet. Eos subinde tibi integrum erit commentariis pervulgare, quos certo moderamine regis. Quod ad libellos pertinet laude dignos habitos nihil obstat quominus ilico praelo subicias. Fac sciam, quaeso, quid de hoc consilii interis.

Volumine quod «Nova et vetera» inscribitur, quod cum plagulis de *Certamine Capitolino* misisti, valde sum delectatus, quin vehementer piget illud in manus sero venisse. At veniet profecto occasio, cum mihi de illo aliqua dicere licebit, prout ejus postulant merita.

Restat ut te faciam certiore me de te aliquid dixisse in commentariolo, quem mox «Latinitas» tibi praebebit (dolet mihi quod plura dicere nequivi); de «PALAESTRA LATINA» autem aliquid dixi in commentariolo quod «I Periodici latini» inscribitur.

Me denique tibi humanitate tua admodum devinctum scito.

Valeas, vir doctissime, nobisque faveas.

Sexti Pusteriae, postridie Kal. Aug; a. MDCCCCLIV.

*G. M. Lyne viro cum humanissimo tum doctissimo Josepho M.<sup>ae</sup> Mir s. p. d.*

Litteris tuis hodie libentissime acceptis, statim haec rescribo ut et gratias tibi agam haud mediocres et fatear me summa voluptate exemplar PALAESTRAE tuae LATINAE accepturum esse atque in vicem missurum exemplaria *Actorum nostrorum Diurnorum*.

Hujus modi commercium atque consociationem habere cum illis qui in civitate tua antiqua litterarum humaniorum studium amoremque tam insigniter promovent mihi valde placet. Cura ut valeas.

Blackpool, inter Britannos, prid Non. Iul.

# Bibliographia

ALFRED ERNOUT. — *Aspects du Vocabulaire Latin*. Paris, Librairie C. Klincksieck. 1954.

Novum in vulgus editur opus, in multis quae adhuc exaravit clarus vir, philologus ac linguarum intelligens A. Ernout. Quod varitis quidem elucubrationibus constat, quae ratione atque usu commonstrare intendunt sensum discursus et progressus, eunte tempore, Lexici Latini

Novem in capita totum dispescitur opus: Mutuationis vocabula (pp. 17-92). Nomina-radices et monosyllaba (pp. 93-116). Remotio nominum in *-r/n-* (pp. 117-149). Remotio formarum in conjugatione anomalarum (pp. 151-172). Pro pensio ad unitatem lexicum atque diversi sensus vocabulorum remotioem (pp. 173-178). Transitus a sensu abstracto ad concretum (pp. 179-183). Sensus semantici progressus (pp. 185-192). Causae harum mutationum (pp. 193-197). Vocabularium peregrinationis Aetherae (pp. 199-219).

Consequitur vero index verborum Latinorum, quo totum facile libri argumentum prae oculis ponitur (pp. 221-236). Atque tabula materiarum opus rite concluditur (pp. 237-238), quod vere complementum habendum est «*Lexici Etymologici Linguae Latinae*», ab eodem clmo. philologo exarati.

ALDOIS WALDE. — *Lateinisches etymologisches Woerterbuch*, 3 e Aufl von J. B. Hofmann; 21 Lief p 753-851. Heidelberg, C. Winter, 1954.

Tandem vicesimus primus, isque ultimus fasciculus, vere «magni» Dictionarii Etymologici Latini apparuit, a claro omnibusque noto viro A. Walde exarati. A vocabulo «venus» (p. 753) ad vocabulum «zonatim» usque (p. 851) securo, quod alias, pede insignis Lexicographus decurrit. Itaque maximo afficimur gaudio tantum hoc opus, tertia in editioe,

jam verti in finem cura praeclari philologi J. B. Hofmann. Quod quidem omnibus PALAESTRAE nostrae lectoribus etiam erit pergratum.

Dumtaxat, ut totum perficiatur opus, restat editio indicum, qui copiosi atque accurati et sciti, procul dubio, erunt. Atque exspectamus avide *Nachtraege u. Berichtigungen*, elucubrationes haud minoris certe momenti in usum omnium legentium hoc opus. Omnes profecto humanorum litterarum cultores magno extollent plausu volumen maximi quidem conatus atque exemplar informationis proluxae atque nitidae, in quo insignis auctor neque tempori neque labori pepercit. Est igitur cur gaudeamus, neque opus non possumus lectoribus enixe non commendare.

LÁZARO CARRETER — *Diccionario de términos filológicos*. Biblioteca Románica Hispánica. Madrid, Editorial Gredos, 1953.

In prologo hujus operis tamquam meta proponitur, quam prae oculis auctor in eo conscribendo habuit. Liber parilis a claro viro J. Marouzeau conscriptus eidem mutuavit repertorium atque fundamentum vocum definiendarum; et maxima in parte significationes Germanicas Anglicasque praebuit.

Quibus non obstantibus, opus hoc insignitur vero ac proprio scriptoris caractere atque forma, et valde accommodum erit, quod nostris in facultatibus manu discipulorum agitetur usquequaque. Constat quidem liber brevi de re prologo (pp. 9-11) ab ipso auctore scite elaborato. Non nullae vero notulae de usu lexicum consequuntur (p. 13). Tum habes totius lexicum tenorem (pp. 15-345). Denique index vocabulorum prostat Germanicorum, Anglicorum, Gallicorum (pp. 347-368), qui totam rem maxime complet atque exornat.

Lexicum omnino convenit cum auctoris proposito, magnique erit commodi nostris litterarum humanorum discipulis, quibus magno ideo opere commendamus.

JIMÉNEZ DE QUESADA GONZALO. — *El Antifonio*. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo Vol. X. Edición dirigida por Rafael Torres Quintero. Bogotá, 1952. Págs. CLXXXIV-637.

Est magnum hoc opus praecipuum documentum; idque magni momenti in historia quasi pugnae et bellatoriae (*polemica*) culturae Hispanicae contenda. Ille quidem auctor unus ex magnis Americae expugnantibus fuit, paulo vero temporis posterior Cortesio et Pizarro. Informationis fontes, ut videtur quos prae oculis habuit clarus vir Quesada, fuerunt: Libri patiles illi Jovii de re scripti; notitiae ore vel scripto tenus ex testibus coëtaneis vel actoribus factorum principibus; memoriae denique personales.

Editio haec, maxima cura exarata, confecta est ex exemplo «microphotographico» manuscripti «originalis» Quesadae, in bibliotheca Universitatis Vallisoletanae exstantis. Atque magno, nisi fallor, opere ad veram cognitionem inserviet rerum gestarum illius quidem temporis historiae nostrae, quod adhuc apud historicos ita omni flagitio deformatum manet.

AEMILIUS SPRINGHETTI, S. J. — *Institutiones Stili Latini*. Romae, Pontificia Universitas Gregoriana, 1954.

Omnes fere quaestiones quae ad locutionem Latinam spectant, inveniet Latinitatis cultor in hoc erudito volumine, a claro Professore Aem. Springhetti exarato. Sufficiet vero libri conspectum me lectori obijcere, quo luce clarius ejusmodi via atque ratio, indeque utilitas, pateat. Liber vere pulchra Latina lingua est scriptus. Quaedam de re praefatur auctor lectori suo humanissimo (pp. V X). Atque sequitur librorum in-

dex praecipuorum quos inspexit (pp. XI XII). In prooemio facili disserit calamo de stilo in universum (pp. 1-10). Totum autem opus quattuor dispescitur in partes.

Pars prima (pp. 13-129) de oratione pura et emendata est. Sex quidem capitibus agit scriptor de puritatis notione et fontibus; de verbis vetustis; de verbis novatis; de verbis novandis; de verbis adventitiis et barbaris seu de barbarismis et soloecismis, atque de verborum poetorum natura et usu, de vocibus quibusdam poetis, de quibusdam poetis verborum structuris et epithetis compositis.

Altera pars (pp. 133-201) est de perspicuitate orationis. Tribus ea capitibus absolvitur: de perspicuitate rerum, de perspicuitate verborum singulorum, de perspicuitate in verbis conjunctis seu in sententiis et in periodis. Tertia vero pars (pp. 205-249) de ornatu orationis. Quinque capitibus haec argumenta pertractantur: Ornatus natura et materia; de ornatu ex ipso genere et delectu verborum simplicium; de ornatu ex conjunctione verborum; de proprietatibus stili quae ad ornatum pertinent; de vitis quae ex perverso ornatu usu nascuntur. Tandem pars quarta (pp. 253-330) est de oratione apta in singulis scriptio- num generibus. Totidem capitibus agit auctor: de stilo ut est apta dicendi forma pro quolibet scriptio- nis genere; de stilo ut est apta dicendi forma propria cujus- que auctoris; de ratione stili comparandi; de non nullis solutae orationis generibus; de oratione et stilo inscriptionum. Vere hic liber commendandus omnibus, qui quidquam de scriptio- ne Latina sapere student: quasi aurifodinae ibi negotio nullo inventent.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

GIUSEPPE CAIATI. — *Vita de Virgilio*. Padova, CEDAM, 1952.

En tibi, humanissime lector, novus liber de Vergilii vita. Quam clarus scriptor sibi proposuit non tantum factis ac

temporibus texere, sed praesertim in ipsis Vergilii operibus innixus atque in documentis antiquioris temporis acutiore acie revisis veluti vivam poëtarum principis figuram vult conformare; Vergillum ipsum praebet opus suum perfectentem, et animum vatis Mantuani atque ejus de religione vitaeque sensum lectoribus offert.

Neque auctor despexit ceterorum opiniones et iudicia; nam quae majoris momenti omnium temporum de Vergilio dicta sunt prae oculis semper habet.

Sollertia non parva, soluto facillique calamo ac magna voluntate prosecutus est cl. v. G. C. dulcissimum poëtam. Quam ob causam librum commendamus velut summam Vergilii vitae perfectam et facilem.

F. M. ALBA, C. M. F.

D. HERNANDO. — *Vademecum Litúrgico*, Gráficas Claret, Barcelona, 1954

Quo facillime, benevole lector, sacri ritus parentur ac peragantur P. D. Hernando opus edidit in quo omnes sacrae Liturgiae caerimoniae vivida ratione ac fere uno obtutu videri possint.

Totum systema fere novum est, nam vel Ecclesia vel presbyterium vel chorus vel baptisterium repraesentantur, et locus et situs omnium Ministrorum aptis signis indicantur.

Opus 719 figuris componitur, quarum 163 Hebdomadae Majori respondent. Ritus Vigiliae Paschalis duplici ratione recensetur: magis et minus sollempni.

Omnes, qui hoc opere usi fuerunt, utilissimum ad sacras caerimonias parandas illud existimant.

Editio denique et typographia optima est.

J. ASPA, C. M. F.

CHARLES ROSSET. — *Traité d'analyse*, Les Editions de l'Ecole, Paris.

Lectoribus nostris Dnus. Charles Rosset Professor cognitus est ac familiaris nimis quam ut opus sit iterum commendari. Nunc parvo hoc codicillo analysim, quam vocamus, auctor penitus et scite pertractat eademque ratione alumnos imbuat atque erudit quo facilius difficultates e via per se ipsi removeant tum in classicis tum in recentioribus quoque linguis ingrediendis. Perspicua auctoris ratio et via in analysi grammaticali exponenda omnibus cordi erit, praesertim cum libellus nitidis typis e prelo exierit ornatus.

In duas partes dividitur: in prima de simplici (p. II-18), in altera de complexa propositione agitur (p. 19-33). Deinde perutilis exstat index consulendus quorundam verborum quae discipulis insidias parare in analysi possint (p. 34-39). Demum quinque exercitiorum series sequuntur (p. 40-58) operique tabula rerum «alphabetica» finem imponit (p. 59-61).

M. MOLINA, C. M. F.

J. GUILLEN. — *Marci Tullii Ciceronis Paradoxa ad Marcum Brutum*. Ed. «Sigueme», Salamanca, 1953.

Hoc parvum opusculum, in quo Cicero Catonis sententias explicat, notulis stilisticis Dnus. Jos. Guillén illustravit. Sed cum auctor ad suam Grammaticam et Stilisticam continuo referat, vere opusculum hoc complementum duorum operum dici potest.

Sed peroportunum esse videtur in his lucubrationibus orationis non tantum sub pelle — ut ita dicam — permanere, sed in intimam stilisticam penetrare et discipulorum laborem in formam internam orationis convertere, quod — ut censemus — veram constitueret stilisticam.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

Ordinarli ac Superlorum licentia

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.